



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 105. An plena libertas requiratur ad omne votum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**



dum promisit, ita fuisse actu constitutum, ut promissurus non fuisset, si circumstantiæ illæ cognitæ fuissent, liberandus est obligatione: hinc

§. 2. Cajus lustrans Carthusiam recreatur <sup>378</sup>  
 silentio & modestiâ Religiosorum, ideóque vovet ingredi, putat tamen illos, sicut alios, vesci carnibus: *Dico*, non obligari voto, quia est error circa circumstantiam magni momenti. Similiter Titius vovet huic pauperi dare eleemosynam, quem postea rescit esse improbum, hinc vellet non dare: *Dico*, teneri dare, quia circumstantia improbitatis ab eo ignorata censeri debet parvi momenti, cum improbo æquè ac probò fieri possit eleemosyna. *Nec obstat*, quòd non vovisset, si scivisset esse improbum, nam nihilominus vovit nesciens esse improbum; imò quamvis dixisset, *non voverem, si scirem esse improbum*, tamen si absolute vovit, tenetur; è contrà si dixisset: *Voveo, si sit probus, non voveo, si sit improbus*, non teneretur, quia votum ipsum fuisset conditionatum, nec substitisset non subsistente conditione. *Illf. T. 5. 37,*  
*n. 84. §. 3. Cajet. Sot. Vasq. Sanch. Baldell. & Ovid. 1. 2.*  
*Controv. 3. p. 7. n. 93.* docent votum non esse irritum, quamvis circumstantia etiam magni momenti fuerit ignorata, si rei promissæ erat intrinseca, quia habuit animum vovendi omne id, quod rei promissæ erat intrinsecum; hinc *inferunt* voventem omni die Veneris jejunare, etiam teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat, uti diceretur iterum num. 438.

Q. 105. *An plena libertas requiratur ad omne votum.* <sup>380</sup>

R. Affirmativè, qualis nempe requiritur ad peccandum mortaliter; & hoc insinuat *Glosa* in Cap. *Mulier*, 32. q. 2. dicens, quòd libertas sufficiens, ut diabolo devincti simus, sufficiat etiam,

ut



ut Deo obstringamur ; atque ita etiam docent  
omnes communiter cum *Az. Suar. Sanch. Ley.*  
*Castrop. Trull. Tamb. Busenb. Ills. num. 77.* Ratio est  
quia hic obligatio gravis vel levis desumitur  
à gravitate vel levitate materiæ secundum inten-  
tionem voventis, ergo necesse fuit ad omne votum  
requiri plenam libertatem, alioquin aliquis posset  
ex semi-plena libertate sibi imponere obligatio-  
nem gravem, quod foret nimis onerosum : atque  
idem est de Juramento, uti iidem Authores notant.  
Vide dicenda num. 429.

381 Q. 106. *Quid dicendum sit in variis dubiis  
circa vota.* R. Prius statuendæ sunt aliquæ regulae  
quæ etiam applicari possunt in materia juramenti,  
& communiter receptæ sunt apud Authores : 1.  
*In dubio melior est conditio possidentis :* Et valet  
non tantum in materia Justitiæ, sed etiam alia-  
rum virtutum, uti ostensum est Lib. I. à num. 49.  
hinc si libertas possideat contra votum, votum  
non ligat; e contra si votum possideret contra liber-  
tatem, foret obligatio. 2. *Obligationes gratuita  
sunt potius restringenda, quam amplianda :* Laym.  
L. 4. T. 5. c. 6. n. 14. *Suar. L. 4. c. 5. n. 13, quia præsumitur  
actus ita confectus, ut sit minus, quam fieri potest,  
onerosus, Menoch. L. 6. Præsumpt. 9 :* Et nempe  
*præsumitur sibi velle onus & obligationem imponere  
nisi manifestè constet, Suar. Bonac. Castrop. T. 3. D.  
P. 2. N. 13.* 3. *Dubitans an plus an minus, tenetur  
tantum ad minus, Sanch. Bonac. aliique cum Ovied.  
I. 2. T. 5. Controv. 4. n. 64. Gob. T. II. n. 89. 393. quia  
in obscuris, quod minus est, sequimur, ff. de reg. Juris  
& libertas possidet contra majus.* 4. Si non ita dicitur  
postquam statuisti aliquid facere, dubites, an vove-  
ris nec ne, judicabis te non vovisse, quia non tam  
facile & citò obliviscimur magnæ promissionis  
quali